

te animi tales simul in corpore prodeant mutationes, quales ad morbos generandos sunt aptæ, quarum rationem ex tanto pathemate derivant; siquidem ex mechanica corporis strutura, statuque antecedenti sano eandem deducere posse incomprehensibile sit. Neque cessant caussæ immateriales, cunctæ etiam systemati explicandi commercium animæ & corporis nomen tuum profitearis. Constat enim, omnia illa tria decantata systemata commercium animæ & corporis enucleandi in eo convenire, quod qualis fuerit animæ perceptio & appetitio, talis quoque in corpore oriatur motus. Imo licet in Systemate Harm. Præstab. anima apparenter tantum in corpus agere, omnesque tum in anima tum in corpore mutationes harmonice contingere supponatur: non impedit tamen, quo minus ex perceptionibus & appetitionibus animæ reddi possit ratio, cur tales potius & non alii motus in corpore oriuntur vid. Illust. WOLFII Psych. rat. §. 618. Atque ideo, quod motus in corpore subnati cum perceptionibus & appetitionibus animæ optime congruunt: harmonista quoque caussas immateriales mutationum in corpore admittere poterit.

## §. III.

Cum satis notum sit atque perspicuum quod homo pro variis caussis materialibus, variis quoque morbis obnoxius esse possit: neque operæ pretium esse judicamus, circa hanc materiam diu morari; sed potius eum, qui hac de re adhucdum dubitare velit, ad scholas Medicorum, eorundemque scripta relegamus. Quare jam ad quosdam morbos recensendos properandum erit, qui caussis immaterialibus adscribuntur; ut his præmissis fini nostro eo propius accedamus, &, quod ad tractandum in dissertatione nostra sumsimus argumentum, eo solidius explicemus.

A 2

§. IV.